

RESPONSIO AD DI-

SPVTATIONEM CVIVSDAM PHIMOSTOMI,
DE DIVORTIO.ERASMVVS ROTERODAMVVS CLARISS. VIRO
I. V. DOCT. N. S. D.

LEGI disputationem de diuortio hominis meo iudicio satis διδακτικόν, animi q̄ sedatioris q̄ quosdam esse uideamus qui uersantur in hac arena, sed quem ex titulis intelligas sibi nō omnino displicere, qui phimostomos nobis & frena crepant, magnifica sanē nomina. Nam quur aduersarios contumeliæ gratia scripturarios appellandos existimarit non uideo, iustius alteros diceret rationarios, qui neglectis scripturis, humanis rationibus tractāt Euangelicam philosophiam, aut si quid adferunt e' sacris uoluminibus, ex more id faciunt potius q̄ ex animo, ac frequenter parum apposite, ut sentire possis illos in scripturis obiter fuisse uersatos.

Confutaturus quē in prioris ad Corinthios epistolæ cap. vii. olim annotauimus, non ob aliud, nisi ut ecclesiæ primatibus occasionem præberem dispiciendi si quā fieri possit, ut aut non tam temere coirent matrimonia, aut temere contracta grauib' de causis per ecclesiæ iudices dirimerentur, primum columnas quasdam ponit, quibus totius disputationis ædificium innitatur, quarum aliquot mihi tales uidentur, ut prorsus alijs egeant columnis. Vult enim diuortij siue repudij uocabulum in sacris literis semper accipi pro diremptione conuictus domestici, manente tamen nodo coniugali, quum ego has uoces tota disputatione usurpem generali significatu. Nec patitur dici diuortium nisi inter quos intercessit coniugalis congressus. Dein negat se uelle discutere quid pontifex aut ecclesia possit in relaxandis aut astringendis matrimoniij uinculis, quū hæc sit nō minima pars nostrę disputationis, quæ id pro scopo habet, ut infelicit' coniuictis quocunq; modo consulatur, aut si fieri non queat, certe in posterū consulatur ne tam facile coëant matrimonia. Quis autem illi permisit nobis prescribere nouas loquendi leges? Repudiatur etiam nondum ducta, diuertit qui discedit, diuortium facit, & qui dimittit, & quæ dimittitur, etiam si non intercessit congressus matrimonialis. Beatus Ioseph uidens uxore' grauidam parabat diuortium. Est enim illic idem uerbum ἀπολύσαι, quod est Matthæi cap. v. & alijs locis ubi loquitur dominus de diuortio. Itaq; diuortium esse potest & inter eos qui non legitime coniuncti sunt, uelut si quis imprudens ducat cognatam in secundo gradu propinquitatis. Aut si mulier nubat, persuasa uirum suum esse uita defunctum. Si mea decreuit refellere oportebat illum uocibus ad eundem uti modum, ad quem usus eram. Quis aut Theologorū hoc docuit, aut quis angelorum reserauit, Deuteronomij xxiij. fœditatis nomine nihil aliud significari q̄ adulteriū? Septuaginta uerterunt ἀσχημον πράγμα, id est rem indecoram. Verba legis sic habent: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manum illius, & dimittet eam de domo sua. Accipit uxorem qui contrahit matrimonium, habet illam qui duxit eam domum. Nam Septuaginta pro habuerit uerterunt συνοικήσκει, id est, cohabitauerit. Hic ex domestico conuictu fieri potest, ut oculum corporis aut animi uitium deprehēdat maritus, quod prius illum fefellerat,

etiam

etiam si non intercedat coitus. Quis autem sic loquatur, si morbus aliquis te corripuerit, de uno certoque morbo sentiens? Quod si per fornicationis nomen, ut iste uult, nihil aliud significatur, quam uxoris adulterium, utrum accipiendum censet, adulterij suspicionem, an adulterium compertum? Sed in humana cognitione, eiusdem momenti sunt, uehemens adulterij suspicio: quam lex uocat spiritum zelotypiae: & adulterium ita compertum, ut testibus probare non possis. Indicant hoc uerba legis Numerorum v. quae uel polluta est, uel falsa suspicione appetitur. Ob adulterij porro suspicionem non concessum est uiro ius repudiandi, sed aliud datum est remedium. Si compertum est adulterium ut doceri possit, nec est alia causa propter quam liceat repudiare, quid aliud est dare libellum repudiij, quam uxorem lapidibus obijcere? De Iudaico repudio loquor. Eo facto utique ius erit uiro alteram ducere. Quis autem ducere uellet sic ob adulterium repudiatam, & supplicio capitali obnoxiam? Iam illud constat repudiij libellum dari iussum in fauorem mulieris, ut exempta a iure uiri prioris, possit cui uelit nubere. Sed quem fauorem meretur adultera? Nec est uerisimile repudiij libellis causam diuortij solere ascribi: ea tractabatur inter affines: sed hoc chirographo quemadmodum testatur Iosephus, maritus sibi adimebat ius repetendi uxoris, si redire nollet, aut si nupsisset alteri, a quo si rursus fuisset dimissa, aut morte secundi mariti facta libera, prior maritus non poterat eam ducere, quod temere uideretur eam repudiasse, quae postea coepit placere, idque factum est in odium repudiantis, & in fauorem repudiatae. Ideoque repudiator iubetur repudiij libellum dare in manu uxoris, ut habeat unde inueniat maritum, doceaturque se plane liberam esse. Quod autem additum est, dimittet de domo sua, consulit honori foeminae, ne si post acceptum libellum uiuat in eius aedibus, ueniat in suspicionem, quod post diuortium non abstinerit a uiro. At noster Theologus his uerbis putat euidenter, & sole quod aiunt clariius, excludi ius nubendi alteri. Audis ne inquit, non ait dimittet a uinculo matrimonij, sed a domestico conuictu. Atque haec est una ex praecipuis disputationis columnis, prorsus arundinea.

Repudium quidem est non praeccepti, sed permissionis, attamen repudiandi modus, dare libellum ac dimittere, praeccepti est. Nec enim aliter licuit repudiare. Ita lex humanissima, simul & uirili ferociae seu fastidio consuluit, & uxoris libertati.

Quod si diuortium illic nihil aliud est quam diremptio coniunctus & thori, quare hodie non iubentur eijcere ex aedibus, qui iusserunt uxorem suam sibi habere? Hac igitur interpretatione quid potest esse uiolentius aut absurdius?

Saltem illud animaduertere debebat uigilantissimus inquisitor, quod mox in lege sequitur, quumque egressa alteri marito nupsisset, ideo dimittitur e domo, ut in alterius domum iure transire possit, & hic Phimostomus interpretatur, ne nubat alteri.

Sed ibidem dicitur, polluta & abominabilis facta coram domino. Ideo dicitur abominatio, non quod flagitium commiserit nubens alteri uiro, sed quemadmodum maledicta dicitur sterilis, & immunda quae profluuio menstruo tenetur, & execrabilis qui pendet in ligno, sic illa dicitur abominatio. Sed abominabilis esse debet priori uiro ne recipiat eam, quae mixta fuit alteri. Illa reciprocatio coniugiorum, & confusio seminum abominabilis est, non ipsa mulier repudiata ob tuncium corporis.

Habes unam columnam non satis firmam. Altera est quod Christus Matthaei v. & xix. Marci x. & Lucae xvi. loquens de diuortio, non inducit aliquod nouum praecceptum, sed tantum exponit quid senserit Moses, quod ille uocat fornicationem, hic appellat fornicationem. Sed unde hoc liquet? An Mosi deerant uerba, quibus nominaret enorme crimen adulterij, quemadmodum alijs multis locis exprimit? At dominus Iudaeis Deuteronomij legem allegantibus, non respondit, Moses & ego idem dicimus, ille permisit ob aliquam fornicationem, eam ego appello fornicationem,

o ij & qui

& qui tum repudiabant uxorem, si ducebant alteram æque committebant adulterium, atq; nunc facerent sub euangelio, sed tanq̃ perfectius aliquid proferens ait: ego autem dico uobis. Assumit & illud, quod Iudæi respondent, Moſen dato li- bello repudiū feciſſe ius dimittendi uxorem, ob aliam cauſam q̃ ob adulterium, non eſſe mentem legis, ſed interpretationem phariſæorū. At qui probandum erat quod aſſumit. Nam ipſe dominus reſpondens non ait: Ad iſtum modū falſo uobis legem interpretatur phariſæi, ſed ait, Moſes permiſit uobis. Nec refert quem ſermonē ipſe aſſingat Chriſto, ſed quid expreſſum ſit in Euangelio.

Permittitur inquit malum, ne accidat grauius malum. Fateor hoc eſſe uerum in legibus humanis, quę permittunt publica lupanaria, ne fiant raptus & adulteria, nec aliter permittunt, niſi quod non puniunt grauiter, puniunt tamen aliquo modo. At lex diuina, non permittit mala ut eueniant bona, ſed infirmis concedit interdum quiddam imperſectius, ne prolabantur in crimen, ut Paulus cōcedit ſecundas nuptias uiduis. Porro adulterium non numeratur inter imperſecta, ſed inter atrocēia crimina, quod apud Iudæos lapidatiōe, apud Romanos gladio puniebatur. Qui ueriſimile eſt igitur tantum nephas à Moſe conſeſſum eſſe.

Porro quum nullus ſit locus uel in lege uel in prophetis qui declaret, rei ſcēdæ uocabulo intelligi adulterium, & nomine repudiū intelligi ſeiunctionem conuiētus domeſtici, nihilo ſecius manente nodo cōiugij, quantus laqueus fuiſſet inieētus Iudæis ex lege non intellecta, quanta aperta fouea proruendi in adulterium: lex enim quę cunctos obligat, uerbis apertis exprimere debet quod ſentit. Ad hæc, quum lex iubeat adulteram lapidibus interfici, & quæcunque repudiata nubet alteri, palam committit adulterium, oportuit ſecundum legem in illam animaduerti. Nec opus erat hic probatione, quum iuxta iſtum hoc ipſum alteri nupſiſſe ſit adulterium.

Solet autem ſcriptura quod alibi dictū eſt obſcurius, alijs locis explanare, ſed Malachias cap. vii. ne tantulum quidem addit lucis, unde poſſimus colligere diuor- tium Iudæis non fuiſſe permiſſum, niſi ob adulterium, ac poſt repudium uxori non fuiſſe licitum alteri nubere. Sic enim loquitur: Vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere, cum odio habueris eam, dimitte, dicit dominus deus Iſraël. Quid eſt, noli deſpicere? Noli eam contumaciter abijcere, quaſi ancillam aut mancipium, quem admodum Abraham eiecit Agar, nihil addens commeatus q̃ panem unum, & hy- dramaquæ Genetiſis xxi. Sed ſi concepifti in illam odium, ciuilitate dimitte, ut legitis me nubat alteri, ac redde illi dotem ut inueniat ſponſum, ac tibi ipſi adime ius reuo- candi ſemel dimiſſam. Iam odium non ex adulterio tantum naſcitur. Totum enim caput Deut. xxiii. leges habet mira ciuilitate temperatas. Veluti de non pertrahendo ad bellum primi anni maritum. De mola non accipienda in pignus. De pignore foris accipiendo. De pignore reddendo ante ſolis occaſum, De mercede eodem die ſoluenda mercenarijs. De ueſte uiduæ non accipienda loco pignoris. De ſpicilegio aduenis ac pauperibus relinquendo. Similiter de racematione & relictis oliuis.

Citat Burgenſem autorem, in Deuteronomio nomine rei ſcēdæ notari adul- terium uxoris. An hoc ille doceat nescio, nondum enim repperi, & uix adducor ut credam. Sed largiamur hoc ab illo dictum, non eſt ille doct̃or eccleſiæ irrefutabilis. Quum ego citem illic præcipuos eccleſiæ doct̃ores, Ambroſium, Origenem, Ter- tullianū, ait nihil referre quid hic aut ille dixerit, ſed quid loquatur ſcriptura. Hoc iuſtius à nobis reſponderi poterat obijcienti Burgenſem. At Cardinalis Caieta- nus annotans in eum Deuteronomij locum ex Hebræorum autoritate docet no- minere rei ſcēdæ quod uis uitium corporis ſignificari, quod ob ſcēditatem tegendū ſit, ac ingenuè pronunciat mulierem ſi dimiſſa nupſiſſet alteri, non peccare, nec uirum, ſi repudiata uxore duxerit alteram.

Viro

Viro Phimostomus fatetur fuisse ius ducendi alteram non ob diuortium, sed ob permissam olim Iudæis facultatem simul habendi plures uxores. Id si uerum est, frustra Christus dixit Matthæi cap. xix. Quicumque dimiserit uxorem suam nisi causa fornicationis, & aliā duxerit mœchatur, concessio quod Christus hic nihil docet noui, sed tantū exponit legis mentem. Imo probabile est eam facultatem qua patriarche quidam ac reges usi sunt fortassis ex instinctu spiritus, multo ante Christi aduentum fuisse abrogatam, Israelitico populo iam satis multiplicato. Nullus enim locus est in ueteri testamento, qui permittit, ut unus haberet plures uxores. Tantum exstant aliquot exempla, ea quæ pauca in sanctis.

Illud argumentum meum non attingit, si diuortium legis nihil erat nisi seiunctio à conuictu domestico, quur Leuit. xxi. & Ezech. xliiij. sacerdos uetatur ducere uiduam aut repudiatam? Permittebatur inquit, & illa nubere, sed ut polluta. Si adulterium committit repudiata si societur alteri uiro, qua fronte dicitur nubere? Nam nubere coniugij uerbum est non scortationis. Nec aliter repudiata dicitur polluta, quidua, quia à uiro cognita est. Aliquid impuritatis habet, quæ iam uiro cognita est, eo quod sacerdos uetatur illam ducere, non quod indigna sit marito, sed quod dignitatis sit sacerdotalis uirginem intactam ducere. Virginitas enim & apud Ethnicos semper habuit decus & gratiam suam. Præterea quur liberi ex posteriore coniugionati pro legitimis habebantur, si adulterinæ erant nuptiæ?

Proinde si nec ex uerbis legis, nec ex uerbis prophetarum ullo pacto liquet, perrem aliquam fœdam proprie significari adulterium, aut per dimissionem proprie significari segregationem conuictus domestici, manente uinculo coniugij, nec aliud sonant uerba Christi quæ legis, nisi quod aliquid relaxans de prima lege lata in paradiso, minus concedit Christianis quæ Moses concesserat Iudæis, diuortij causas astringit ad unam, quod aliud diuortium poterant intelligere Iudæi, aut etiam discipuli tum temporis nihil aliud quæ Iudæi, nisi quod ex lege didicerant? Nec enim dominus ullo uerbo significat illis hoc diuortij genus quod hic uult & apud Iudæos solum fuisse. Sed discipuli dicunt, si sic est causa homini cum uxore, melius est non ducere. Non ideo uidetur eis dura coniugij conditio, quod repudiata uxore non liceat alteram ducere, sed quod ob unam tantū causam concessum esset ab uxore liberari, quum lex ob multas causas permisisset repudium, & nonnullæ mulieres habent uicia non minus molesta quæ adulterium.

Quod si urgemus illud *πολυθύνλακτον*, quod deus coniunxit, homo ne separet, ne hoc quidem diuortium quod nunc ob multas causas permittit ecclesia, illicitum erit. Deus enim initio sic coniunxit, ut essent duo in carnem unam, unam carnem ut ipsi interpretantur facit coniunctio corporum. At hanc adimunt sibi qui faciunt hodie diuortium. Itaque qui thoro separantur, contra præceptum domini separantur, præsertim quum separandi uerbum proprie exprimat diremptionem societatis domesticæ. Nam Matthæus dixit, *χωριζέτω*, quemadmodum adhærebit, *προσκολληθήσεται*, & coniunxit, *συνέζευξεν*, exprimit indiuiduam uitæ societatem.

Hic confugit ad Paulum apostolum dominicæ mentis interpretem. Is ad Romanos septimo scribit mulierem alligatam uiro, quamdiu uiuit uir eius &c. Primum constat hic Apostolum non tractare quæstionem de diuortio, sed ex lege ducit similitudinem ad euincendum eos, qui profitebantur Euangelium amplexos non teneri legalibus ceremonijs. Constat autem nihil esse necesse ut similitudo ducendi causa adhibita quadret per omnia, satis est congruere in hoc ad quod declarandum adhibetur. Quemadmodum dominus aduentum suum comparat nocturno per fossori. Legem autem uiri, Paulus ius uiri uocat, Ius uiri est autoritas in uxore

rem, & potestas petendi obsequium. Atqui hoc ius amittitur hoc nouo diuortio. Proin iuxta Paulum & hoc illicitum esset. Hic igitur locus geminum habet scrupulum, unum quod per similitudinem adhibetur, alterum quod si uerbis urgeamur, illicita erit & à thoro seiunctio. Quod si duxerit, hic subaudiendum excepta causa fornicationis, duplex erit incommodum, alterum quod exceptio non quadret ad id quod agitur: uult enim legem quam uiri nomine designat uideri mortuam, non offensam; alterum quod si idem ualet mors uiri & ob adulterium repudiatio, licebit & hodie repudiatis alteri nubere. Insuper Apostolus illic de muliere loquitur, non de uiro. Nam lex nullum repudij ius concessit uxori, sed uiro concessit. Hic rursus obijcitur par amborum conditio, uerum ea nusquam expressa est sacris literis, de quo mox plura dicemus. Restat locus i. Corint. cap. vii. His qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed dominus, mulierem à uiro non discedere, quod si etiam discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem suam non dimittat. Hic Paulus nihil excipit quum dominus cuius præceptum allegat exceperit adulterium. Sed Ambrosius ait hic subaudiendam exceptionem adulterij, ut hoc largiamur, attamen in parte posteriore duntaxat subaudienda est, & uir uxorem non dimittat, propterea quod neque Christus, neque lex permittit uxori facere cum marito diuortium ob adulterium uiri. Id quod eodem in loco manifeste tradit Ambrosius, si illius nos urget autoritate. Cum autem Apostolus dicit, mulierem à uiro non discedere, de diuortio loquitur, quod molitur uxor offensa uiri moribus. Alioqui frustra fuisset additum, & uir uxorem non dimittat. Bis enim diceret idem. Si quidem discedit repudiata, & dimittit repudiator. At nusquam legimus uxori permissum repudiare uirum. Ex hoc loco qui solus profertur euidenter probari non potest. Apostolus igitur quod erat perfectionis, nomine domini proponit, ne fiat omnino seiunctio, ne adulterij quidem causa, quod inter perfectos non incidat tantum flagitium, sed maneat indiuulsa copula, quemadmodum fuit in prima matrimonij institutione. Neque enim dominus præcepit ut uir adulteram repudiet, sed hoc concedit infirmitati nostræ: Ac Paulus appellat hoc præceptum domini. Sed si mulier præter ius concessum se subtraxerit à uiro, iam suo nomine consulit illi Apostolus ut maneat innupta, aut si se non continet, ignoscat uiro, & cum illo redeat in gratiam. Atque hoc Ambrosius apostoli consilium appellat, quod magis expediat spe reconciliationis uiuere solam, quam alteri adulterino coniugio adharere. Tunc is qui scripsit commentarios in omnes Pauli epistolas, quos Hieronymi titulo legimus, idem sentit, addens hoc esse melius. Ambrosij uerba sunt hæc: Hoc apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conuersationem uiri, iam innupta maneat. Alterius uerba sic habet: Si ob aliquam causam discesserit, alij non nubat, aut uiro suo si noluerit reconcilietur, quia hoc quam alteri nubere melius esse manifestum est. Ambrosius hoc quod additur Pauli consilium uocat, nec dicit, propter adulterium, sed ob malam uiri conuersationem, qui sermo latius patet. Item alter dicit, ob aliquam causam, ut de multis intelligatur, & dicit melius est, non dicit necesse est. Sed uiro cuius est ob coniugis adulterium eam repudiare, non præcipit apostolus ut maneat cœlebs, nisi malit uxori reconciliari. Quir aut plus iuris concessum sit uiro quam uxori, multæ causæ reddi possunt, quas hic commemorare non est necesse. Scio quosdam æquare uirum & mulierem in legibus coniugij, sed Paulus æquat illos in usu coniugij tantum, quum ait, uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, similiter & mulier: non in iure repudiandi. Alioqui uult uxorem uiro subditam esse, & uirum caput uxoris appellat. Et Petrus uxores ad exemplum Saræ prouocat, quæ maritum appellabat dominum. Tantum abest ut pari sint conditione. Sed donemus uxori permissum repudiandi ius ob adulterium, si post repudium manet coniugij uinculum, quomodo illa Paulo dicitur ἄγαμος, hoc est cœlebs, quum obligata sit uiro?

Aut

Aut quomodo Ambrosius hoc appellat consilium, quod nullo modo licet secus facere? Ex hoc igitur loco non conuincitur euidenter mulieri repudiatę iuxta legis permissum ac domini concessionem, non licere alteri nubere. Perspicuum igitur est Paulum hic loqui de muliere quę illicite discesserit, quum non habeat diuertendi ius. Alioqui & de uiro subiecit, maneat cęlebs, aut uxori reconcilietur.

Quid quod ipsa exceptio non nihil habet scrupuli, quem quum iste profiteatur se discussurum, obliuione, ut opinor, non pręstat quod pollicetur. Prisci doctores ad totum illum sermonem referunt, nisi ob fornicationem, actum sensus erit, permitti uiro ut citra crimen adulterię ducat aliam, & illa citra crimen nubat alteri. At diuus Augustinus hęc particulam excepta causa fornicationis, refert ad id quod habetur, faciteam męchari: Nam qui adulteram abiicit, non facit męcham, sed iam męcham reijcit. Hoc cōmentum ille repperit, ne ex uerbis domini liceat post repudiū nouare coniugiū. Id fateor ita dictū, ut ingenij subtilitas laudari possit citius q̃ ueritas. Nam aliud sonant uerba Euangelistę cap. xix. Quicumq; dimiserit uxore suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, męchatur. Hic exceptio in medio posita demonstrat, referri ad complexum duarum partium, qui dimiserit, & aliam duxerit. Certe ad posteriorem proprie referri non potest. Sentit igitur Euangelista: qui pręter legitimam causam dimittit uxorem, prębet illi materiam adulterię: & qui pręter causam legitimam repudiatam, duxerit, męchatur, quia dormit cum aliena. Ex hoc sequitur, qui ob causam a domino expressam dimiserit & aliam duxerit, nec męchatur ipse, nec uxori prębet adulterię causam, quod repudiata legitimę, liceat alteri nubere si est intemperans.

Vnde ergo euidenter probatur hoc nouum diuortium, quo uir & uxor segregantur manente nodo Herculano? Ex Pauli loco nihil potest euinci, nisi quoniam uxor nullum habet ius repudiandi uirum, si offensa decesserit, ne cum adultero contrahat matrimonium. Secus si a uiro legitime fuerit repudiata.

Omitto nunc referre quid orthodoxi ueteres scriptum reliquerūt de matrimonio. Nam iste nihil moratur illorum auctoritatem, nisi cum pro ipso faciunt. Origenē fortassis & Tertullianum reijciet, At hos nemo non fatetur in peritiā sacrarum literarum fuisse & Ambrosio & Augustino superiores. Sed in hoc articulo nunquam notati sunt ab ecclesia, utiq; notandi si fuisset error. Si quid lapsi sunt, imputatur antiquitati, quę nondum de multis pronunciarat. Origenis errores diligenter notati sunt, hic nunquam fuit obiectus. Tertullianum non sensisse cum montani stolidissimo dogmate uel illud arguit, quod mox ab ea factione segregauit sese. Notatus est quod improbarit digamiam, quod repudiata uxore uiro permittit alteram ducere nunquam fuit reprehensus.

Superest igitur ecclesię uel interpretatio uel constitutio. Sequor quo uocat, Quanquam ille testatus est se nolle uti humanis pręsidijs, sed ex scripturis canonicis euidenter demonstraturum iuxta literalem sensum, nec uiro ob fornicationem repudianti, nec mulieri repudiataę phas esse nouare matrimonium.

Relęgat nos ad decreta patrum, Causa. xxxij. quęstione. vij. Atq; illic reperio citatos homines, quorum hic auctoritatem non recipit. Nec enim quicquid refertur in Decretis, ecclesię lex est, quum illic frequenter recitentur ueterū opiniones ex diametro inter se pugnantes, nonnullę etiam hęreticę, si quis tueri contendat. Atq; in hac quęstione primas tenet Augustinus, quem fateor ubiq; inculcare quod nūc sequitur ecclesia. Sed non est impietas opinor, alicubi de Augustini sententiā dubitare. Citatur illic Gregorius, qui propter adulterium repudiataę ne mortuo quidem uiro, permittit potestatem nubendi, quam Paulus illi non negat, An quum a nobis

illorum scripta citantur, uocantur hic & ille, quum in Decretis citantur, subito fiunt νομοθεται. Sed Gratianus decernit. Quid? His inquit, autoritatibus euidentissime monstratur, quod quicumque causa fornicationis uxorem suam dimiserit, aliam illa uiuente ducere non poterit, & si duxerit, reus adulteri erit. Verum idem mox subiicit. His ita respondetur, hæ autoritates de his loquuntur, quorum continentiam carnalis infirmitas non impedit, uel de his qui præstantes causam dissidij, aliorum coniunctione se reddiderunt indignos. Bella definitio, fruatur ea phimostomus, & fateatur eos qui post repudiatam uxorem non possunt continenter uiuere, non peccare si ducant aliam. Iam in Decretalibus quid aliud refertur, quæ rescripta pontificum aut decreta episcoporum? Quanquam illic nihil reperio, quod ad hoc argumentum proprie facit. Atqui demonstrauius & Episcopos prouinciales & pontifices Romanos, non solum de matrimonio, sed de alijs quoque rebus grauissimis diuersa sensisse, & priorem sententiam posterioribus cogitationibus fuisse correctam. Idem factum est de Decretis ueterum Synodorum, non paucis. Semper quidem Ecclesia habuit spiritum sponsi sui, sed ita uisum est illi, suo tempore quædam patefacienda reseruare. Credimus & Apostolis adfuisse Christi spiritum, tamen Petrus à Paulo reprehensus est, ac dissensio incidit inter Paulum & Barnabam, quum spiritus ipse semper sibi consentiat. Probabile est & sacris ecclesiæ doctoribus non defuisse spiritum, at interdum labuntur, & nonnunquam inter se pugnant. Credibile est & Romanis pontificibus adesse spiritum, & tamē Celestini decretum ab Innocentio tertio rescissum est. Pelagij à Gregorio, Mutinensis ecclesiæ decretum ab Innocentio, Ioannis xxij. placita à Nicolao damnata sunt, non de rebus quibuslibet, sed de necessarijs, & ad sacramenti substantiam pertinentibus, nisi forte parum interest inter maritum & adulterum, inter coniugium & adulterium. Olim non erat impiū credere spiritum sanctum à solo patre procedere, nunc secus est definitum. Olim satis erat credere corpus domini adesse per consecrationem sacerdotis, post inuenta est transubstantiatio. Olim uniuersa ecclesia præsertim occidentalis credebatur infanti baptizato nihil prodesse lauacrum ad salutem, nisi mox dato corpore & sanguine domini. Ad id constringi se putabat uerbis domini Ioannis vi. Amen dico uobis nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis. Eum locum nunc aliter interpretatur ecclesia. Quid quod ipse locus hic suppeditat nobis argumentum: Apostolus suadet, ut uxor fidelis adhæreat uiro infideli, si modo ille non quærat diuortium. At id hodie uetat ecclesia. Si respondeant Paulum hoc consuluisse non præcepisse, idem probabiliter dicetur de loco proxime præcedente. Quod si toties in tam grauibz rebus ecclesia priores cogitationes posterioribus correxit, quid existimemus nunc abbreviatam esse manum domini? Aut qui in eptum putat, cum tam reuerenti præfatione disputare de argumento, de quo libere dubitant atque etiam pronunciant primi nominis iureconsulti, de quo diuersa tradunt eximij ueteres & doctores ecclesiæ, de quo sic loquutus est dominus, ut illius uerba magis faciant pro sententia quam prisci quidam interpretati sunt? Præsertim quum hic non impingatur error ecclesiæ, quæ sua constitutione domini præceptum non abrogat, uult enim & illa nullum esse diuortium, sed domini permissionem astringit quemadmodum dominus arctauit Mosi concessionem. Constat autem Romanum Pontificem aut certe ecclesiam posse scripturam Canonicam interpretari, dilatare & astringere: per interpretationem declarat, aliud sensisse scripturam quam aliquando fuit receptum: per relaxationem concedit, quod expresse non concessit lex diuina, ueluti de diuortio propter hæresim aut apostasiam, aut ingressum religionis: per astringentem adimit aliquid e concessis, ueluti quum uetat contrahi matrimonium

nium in gradibus propinquitatis in lege uetere concessis, nec in noua prohibitis, item ob affinitatem spirituales: rursum quū dirimit matrimonium ratum ob professio- nem uitæ monasticæ, quū adimit uiro ius diuortij, si ipse quoque sit adulter, aut si uxo- rem prostituerit, aut suspectam cognouerit, aut publice mœchantem retinuerit. Quod si pontifex tantum ualet in sacramentis nouæ legis, quæ solus Christus potuit instituire, & ualet in his quæ pertinent ad sacramenti substantiã, multo magis idem poterit in decretis Synodorum uniuersalium, quarum autoritas à nonnullis æqua- tur Euangelij, sed hæcenus opinor, si quod constituunt, euidenter doceant ex Ca- nonicis literis. Nemo tamē hæc in eam rapiat partem, quasi phas sit ulli priuato con- temnere aut rescindere Synodorum decreta: quod publica ecclesiæ autoritate san- citum est, conuenit ut eiusdem autoritate mutetur, si id postulet ingens Christiani gregis utilitas.

Hic auditurus sum ecclesiam nihil constituere de diuortio, nisi quod à Mo- se, quod à domino & ab apostolo expressum est. Quod ad Mosen attinet, uidetur mihi hic disputator idem pati quod in Aesopice fabulis accidit canis, qui dum captat umbram carniū, ueras carnes quas ore tenebat amisit. Ita dum iste parū pudenter conatur Mose legem de diuortio præter ueterum omniū autoritatem cū Christi do- ctrina connectere, & in cæteris ratiocinationibus perdit autoritatē. Quod ad Pau- li locum attinet, si apostolus scribēs Corinthijs sentit de diuortio quod sit tantū adul- terij causa, nihil diuersum dicit à dominica doctrina. Optat omnes esse perfectos, ut nullum oriatur diuortiū. Id si non potest obtineri, consulit uxori ne cum alio con- trahat matrimonium, quo facilius sit reditus in gratiam, qui desperandus esset si post diuortium ab alio uiro fuisset cognita. Donec enim qui repudiauit non duxit aliam, si mulier se continuerit, spes est reconciliationis. Hoc igitur utiliter præcipit uxori quæ nullum habet ius ex permisso domini sic diuertendi à marito ut nubat alteri, ne in ueteri quidem lege, nisi maritus fuerit autor diuortij. Simili de causa suadet uxo- ri Christianæ, ne discedat à uiro non Christiano, quod spes sit, illum qui non horret Christianæ consortiū, aliquando coniugis opera conuersum iri. Sin agitur de uulga- ribus diuortijs per quæ solent mulieres offensæ maritorum moribus à domestica consuetudine resiliere, nihil hic locus adiuuat huius argumentationem, quandoqui- dem & uir qui simili modo repudiat uxorem, uetatur aliam ducere.

Iam si fornicationis causa permittitur diuortium ob criminis enormitatem, sunt alia grauiora ueluti peccatum aduersus naturalem usum, quod Paulus dete- statur æque in foeminis atque uiris, infanticidium, ueneficium, pharmacis accer- situs abortus. Sin ob id quod adulterium peculiariter pugnat cum fide coniugali, utrum magis pugnat cum ea fide, quæ sui corporis copiam alteri facit, an quæ ui- ro molitur necem, aut prolem natam conceptam uel abolet? Fides enim coniugij non proprie sita est in mutuo usu corporum, quum coitus non sit de necessitate ma- trimonij, sed indiuidua uitæ societas, & omnium fortunarum consortium. Certe quæ in prolem peccat, peculiariter aduersus coniugij fidem peccat.

Quin Ecclesia concedit uxori diuortium à conuictu uiri, si exigat ab eo cor- poris usuram secus quam natura statuit. Ob plures igitur causas ecclesia concedit diuortium quam ob adulterium, quam unam excepit dominus. At iste non patitur ecclesiam culmum, ut aiunt, latum digredi à literalis sensu scripturæ.

De apostasia, aut prolapsu in hæresim, colorem adferunt, quod ea sit for- nicatio spiritualis. Verum ex quibus scripturæ locis hoc liquet?

Quū obijtur, quod omne crimen est fornicatio animæ in iniuriam sponsi esse Christi,

Christi, fatentur esse uerum, sed non tam proprie inquit. Hoc commentum non omnibus opinor satisfacit. Simile huic est, quod afferunt de affinitate.

Quum obijcitur de sponsa relicta, ob professionem uitæ monasticæ, cui tantum tribuunt, ut æquum existiment puellam publice nuptam, inuitam & reclamantem diuelli à sponso, ac manere solam, donec ille post sesquiannum, quod tempus datur probationi, profiteatur monachismum. Quod si hoc tempore nondum expleto, aut expleto etiam conferat sese ad aliud monasterium, denuo auspicaturus annum probationis, aut si id faciat tertio, iubetur expectare deserta sponsa, donec ille suum peragat monachismum. Vbi hoc permittunt sacre literæ? Proferunt nobis illud, quod si mortuus fuerit uir, soluta est à lege uiri, ut cui uult nubat. Professio monasticæ uitæ mors est inquit, ciuilis. Verum ubi hoc docent Canonice literæ? An non omnes Christiani moriuntur mundo, & in baptismo cum Christo sepeliuntur? Et tamen Paulus non uult uxorem baptizatam à uiro non baptizato discedere, nisi ille renuat consortium. Quod si Paulus sensit de utraque morte tam naturali quàm spiritali, quur mors naturalis sic liberat ut liceat post consummatum matrimonium alteri nubere, nec idem ius sit per mortem ciuilem siue spiritualement? Quur nos distinguimus quod non distinxit Paulus, ac dominus? Quis autem non perspicit hoc esse commentum hominis repertum in fauorem uitæ monasticæ? Sic autem fauendum est humanis institutis, ut nulla fiat iniuria ei quod instituit deus, quod confirmauit Apostolus. Hic si commemorem quosdam ante cucullam pactos opulentam Abbatiam, religionis titulo deferere sponsam cum qua legitime contraxerant, & unde fortassis omnem uoluptatem decerpserant præter coitum, dicent non referre quid fieri soleat, sed quid fieri debeat. Vocat nos Euangelium ad perfectionem, fateor, sed ut extra monachismum perfectio est, ita potest esse & in coniugio. Et si non esset, perfectio præstanda est potius quàm profutenda: & si libet profiteri, tum erat faciendum quum esset integrum, & sine cuiusquam iniuria fieri poterat. Sed de monachismi priuilegio uiderint alij. Caterum quod ecclesia ob non ferenda crimina permittit disiunctionem domesticæ consuetudinis, uehementer probo, sed id facit magis ex autoritate dispensationis quæ illi commissæ est, quàm ex euidenti præscripto scripturæ, quum tamen iste contendat omnia fieri iuxta literalem sensum illius.

Tota igitur hominis disputatio tam infirmis nititur columnis, & tamen perinde quasi causam totam prorsus euicerit, transit ad epilogum. Mox decerpit aliquot fragmenta ex annotatione mea, quæ refellit, quod illi bonum atque commodum est, si illi concedamus, nec Moysen in Deuteronomio, nec dominum in Euangelio, nec Paulum in epistolis, ullam nouisse causam diuortij, nisi adulterium, nec ullum diuortij genus, nisi quod dirimit uitæ consuetudinem, manente nodo coniugij: Si largiamur illi dominum nomine fornicationis, æque expressisse spiritualement, atque externam: Si donemus Apostolum mortis nomine euidenter expressisse, tam mortem ciuilem, hoc est monasticam, quàm naturalem: Denique si fateamur Pontificem aut Ecclesiam nihil posse statuere, præter quàm quod in sacris literis expressum est.

Quædam refellit non intellecta, quod genus est, in recitatione Numerorum quinto. Retuleram in annotatione ab Origene scriptum fuisse nonnullos Episcopos, qui permiserint uxoribus à uiris segregatis, alijs nubere uiris: id quæ Origenem fateri factum aduersus præceptum domini ac Pauli, sed tamen non damnare factum. Hic respondens, negat se uidere, quo pacto non damnet Origenes quod fatetur pugnare cum præcepto domini & Apostoli. Atqui si locum illum

annotatio

annotationis ad aliquot etiam uersus fuisset prosequutus, uidisset Origenem illic loqui de uiris qui repudiabant uxores ob alias causas præter illam quam unam concessit dominus. Quir igitur inquiet, hoc factum episcoporum non damnat Origenes? Dicam paucis. Quoniam dubitabat an ob causas adulterio pares aut grauiiores, liceret uxores abijcere. Fornicationem enim dominus nominare uidetur, non quod sit simpliciter omnium atrocissima, sed quod longe grauior ijs ob quas Iudæi more gentium repudiabant uxores. Nam prodigiosa illa fortassis ideo silentur, quod inter Christianos talia non uiderentur expectanda, quemadmodum ethnicus ille legum conditor, nullam poenam statuit parricidio. At hæc ratiocinatio, si ob adulterium licet uxorem abijcere, multo magis ob ueneficium, aut sortilegium, aut infanticidium, aliquanto probabilius est illa, lubetur emittere e domo, ergo non licet nec repudianti, nec repudiatæ nouare coniugium, & ob hæc si licet diuertere, quia est mors spiritualis. Aut monachismi professio soluit matrimonium ratum ac perfectum, sed non consummatum, quia mors est ciuilis.

Ad locum tricesimum primum, quo scripseram apud ethnicos non fuisse ratum matrimonium, nisi intercederet parentum aut maiorum autoritas, ne apud Iudæos quidem, quum apud utrosque posset ob graues causas dirimi matrimonium, per quæ faceret ludit: Hactenus inquit, nesciui legem matrimonialem Christianis oportere, non ex iure diuino, sed ex ethnicorum Iudæorumque moribus præscribi. At quid absurdi sit, si quod recte sit apud ethnicos, ad Christianorum disciplinam accommodare? Aduersum quam scripturam pugnaret, si filij & filię nondum emancipatæ non contraherent nisi ex consensu parentum, in hoc pari conditione cum seruis quod sunt in aliena potestate. De Iudæis quur miratur, quum ipse tota disputatione Christi & apostolicam doctrinam torqueat ad legem Mosaicam?

Ad locum tricesimum quartum fatetur ingenue, matrimonium per uinum rationis usum absorbens contractum recte dirimi per ecclesiam. Sed quæro ab isto an adolescens post lasciuios contactus, amplexus & oscula uino pariter & amore calens, iam telum habens in uestibulo naturæ puellaris, in ipso nudorum corporum contactu habeat usum rationis. Puella paupercula docta à lena, quum uidet iuuenem non esse sui compotem, dicit, non admittam coitum nisi me uelis ducere: ille respondet, ducam, ignarus quod congressus ille uerba futuri temporis uertat in uerba præsentis temporis. Et tamen hæc dicuntur legitima matrimonia, & occinitur nobis, quod deus coniunxit, homo non separet.

Ad locum uicesimum nonum quo probo apud Iudæos licuisse repudiatæ iungi alteri uiro, hoc argumento quod sacerdos prohibetur repudiatam ducere, ita respondet: sed non omne quod tunc Iudæis licuit, hodie licet Christianis. Atqui hoc egit tota disputatione, ut ostenderet in diuortio ne puto quidem amplius licuisse Iudæis, quam quod dominus & apostolus permisit Christianis. Quod antea toties uocauit adulterium, nunc dicit licuisse.

Ad extremum locum, quo proposito Fabiolæ exemplo dixi, fortasse Paulum in eo casu ciuilius interpretaturum fuisse sua uerba quam nos interpretamur, facete respondet, Paulum dicturum potius quod scripsi scripsi. At de mutanda scriptura nulla est facta mentio, sed de interpretatione scripti. Hæc ideo recensui, ut egregium illum doctorem excitem, ad neruosiùs confirmanda, quæ sibi uideatur ita declarasse, ut nullus reliquus sit tergiversationi locus. Alioquin arbitror illum esse uirum bonum. Ad hunc modum sese habet illius disputatio.

Cæterum

Cæterum quum initio disputationis me suum appellet, tamen in computatorio scripturariorum honoris gratia commemorat me inter egregios viros, exorsus ab Ario & Sabellio, usq; ad Martinum Luterum; In hoc venerabili choro commemorat Erasmus, inter Carolstadium & Zuinglium, his uerbis:

Erasmus Roterodamus dubitat an sacramentalis confessio in ecclesia consueta, sit de iure diuino, atque salutis necessitate, sed errat, quia à regula ecclesiæ discordat.

At qui in tam paucis uerbis quam multa uanitas. Primum, Erasmus nusquam dubitat an in ecclesia consueta fuerit aliqua confessio sacramentalis: Nam neq; baptis-
mi, neque poenitentiae sacramentum seiungi potest à confessione: Sed alicubi dubitat an hæc confessio, qualis nunc est in ecclesia, fuerit à Christo instituta tanquam pars sacramenti.

Nec usquam dubitans utitur his uerbis: an sit iuris diuini. Fortasse ius diuinum la-
tius patet, & multa sunt iuris diuini, quæ à Christo non sunt instituta.

Multo minus dubitat, an sit ad salutem necessaria. Etenim si tantum esset inducta ex generali institutione ecclesiæ, & tot annorū usu comprobata, tamen opinor esse necessariam ad salutem.

Verum hic fortassis excusabit quod mea scripta non legerit, & quod adfert ueris-
simile est: quandoquidem ingentes gratias agit Lamberto Cartusiano, quod per il-
lum contigerit legere annotationem Erasmicam in quam scribit. Nec eam tamen ui-
detur satis attente legisse.

Sed proferat nobis istam ecclesiæ regulam, quæ clare præscribit hanc confessio-
nem ut nunc habetur, fuisse à Christo institutam. At Theologicæ grauitatis erat,
diligenter inspicere quod carpit, priusq; tam odiosa dicta mitteret in literas.

Hanc lucubratiunculam ad te scribendam putauī, quod ille suam disputationem
tibi dicauit, ut inter nos arbitri sequestriq; si uideretur, officio fungaris. Vale. Fri-
burgi Brisgoiæ, xix, die Augusti, Anno, M. D. XXXII.

FRIBV RGI BRISGOIÆ APVD IOANNEM

EMMEVM IULIACENSEM, MENSE

SEPTEMBRI. AN. M. D. XXXII.